

I. N. S. S. T.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

THEOREMATA NON-  
NULLA MISCELLANEA

EX AMPLISSIMO PHILOSO-  
PHIÆ AGRO COLLECTA

EXHIBENS:

QUAM

*Consensu & approbatione Amplissima Facult.  
Philos. in Regia Academia Aboënsi.*

SUB PRÆSIDIO

*Pl. Reverendi & Præclarissimi,*

DN. M. MARTINI MILTOPÆI,  
Eloq. Prof. Pub. & Acad. Rectoris h. t. Magnifici,  
præceptoris & Promotoris sui, omni observan-  
tiæ cultu jugiter honorandi,

*Pro privilegiis & honoribus Gradus philosophici obtinendis pu-  
blica eruditorum censura modestè submittit*

Sern. Reg: Maj: tis Alumnus,

MAGNUS M. LAGHE Smolandus.

*In Auditorio maximo ad diem 13 Aprilis Anni repa-  
rata salutis 1672. horis ab 8. antemeridianis.*

A B O Æ,

---

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad, Typog.

DISSEMINATIO

THEOREMATUM  
MISCELLANEA

EX AMPLISSIMO PHILOSO  
PHICIS AC MATHEMATICIS

PHILOSOPHIAE  
MAGISTRI

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE  
MAGISTRI

PHILOSOPHIAE  
MAGISTRI

PHILOSOPHIAE  
MAGISTRI

PHILOSOPHIAE  
MAGISTRI

A B O

PHILOSOPHIAE  
MAGISTRI

I. N. S. S. T.  
THEOREMA GENERALE

**T**RACTATUS extræssentialis hisce præcipuè quatuor momentis, *Definitione, Causis, Objecto, & Divisione* absolvitur.

§. 1.

**R**OCÆMIA rectè disciplinis præmitti Philosophorum tam recentiorum quam antiquorum per plurimi suo exemplo comprobarunt; Illa enim totius artis vel scientiæ naturam generali & confusa quadam delineatione explicant & repræsentant, & animos discipulorum ad sequentia, quæ ex illa disciplina expectari possunt, præparant. Quæ quidem præludia non ex necessitate absolutâ præmiserunt, Cum non ad partes essentielles disciplinæ pertineant, nec ad integritatem repræsentationis objecti faciant; sed ex necessitate, ut vocant, expediendi; nam discendi facilitatem apprimè promovent.

§. 2. Primum est *Definitio*, quæ ab authoribus duplex constituitur: *Nominalis & Realis*. Illa tria communiter considerat, 1. Etymologiam seu notationem nominis. 2. Homonymiam seu distinctionem nominis, quæ ejus ambiguitates & varias significationes recenset, si quæ fuerint. 3. Synonymiam, quâ æquipollentes termini enodantur. *Definitio realis*, si alias perfecta, genere & differentiâ constat. illud ex propria sede sumendum est: & quoniam disciplinæ sunt accidentia absoluta, in classe qualitatum locum habent, inq; ejus prima specie quæ est habitus; ad cæteras n. non possunt accommodari. Differentia desumitur ab objecto, effecto vel fine.

§. 3. Secundum momentum sunt *causæ*, quarum prima est *efficiens*, quæ duplex est: Prima & secunda. Prima Deus Ter

Optimus maximus. Secundæ in remotiores & propinquiores dividuntur: remotæ sunt recta ratio seu lumen naturæ & sensus; propinquæ: observatio, inductio & experientia: conf. B. Thur. & Excel. D. M. Jacobi Flach. tract. de Phil. in G. *Materiam* ex qua & *formam* proprie dictam non agnoscunt disciplinæ, habent tamen aliquod ijs analogon, Loco enim materiæ sunt ipsa præcepta vera, certa & constantia cujuslibet artis naturæ congruentia. Vices formæ sustinet methodica præceptorum verorum homogeneorum & catholicorum certa dispositio. Dithmars. *Metaph. Disp. 1. Finis* duplex est: Principalis seu summus, gloria nempe Dei, qui cuilibet disciplinæ competit. Et minus principalis, qui quoq; vel est intermedius, utilitas scil. in vita humana, vel proximus, intellectus vel voluntatis perfectio.

§. 4. Tertium, quod hic observandum, est *objectum*, circa quod disciplina potissimum versatur: quod est vel θεωρητικόν contemplabile: vel πρακτικόν agibile, vel ποιητικόν effectibile. In quo duo notanda: *Materiale* & *Formale*, illud pluribus disciplinis commune esse potest, hoc verò seu ipsum modum considerandi proprium & peculiarem singulæ requirunt.

§. 5. Quartum notatu dignum est ipsa *Divisio*, quæ, si disciplinæ natura patiatur, solet esse bimebris, & plerumq; in partem communem seu generalem, & propriam seu specialem distribuuntur: quamquam & aliter possint dividi; divisio n. ad rem & materiam dividendam accommodanda: modò hoc observetur divisionem debere totam latitudinem divisi exhaurire; nam & latior & angustior divisio vitiosa est.

## LOGICUM.

*Logica est disciplina utilissima Theologis, juris consultis, Medicis & Philosophis.*

§. 1. Ab accurata cognitione logicæ in cæteras disciplinas amplissimum redundare commodum hinc faciliè patet:

Intellectus enim noster lapsu primorum parentum corruptus, beneficio hujus acuitur, excitatur, juvatur & perficitur, ut munus suum promptè & cum delectatione obire possit; est enim disciplina generalis, & considerat res omnes, non qua res sunt, sed qua notiones secundæ ijs imponi possunt. Unde haud immeritò à Philosophis hisce titulis honoratur, quod sit, Instrumentum instrumentorum; manus Philosophiæ; artium domina: janua scientiarum; oculus mentis; clavîs aurea disciplinarum realium, tam superiorum quàm inferiorum, &c. Unde Meisn. Philos. Sob. part. 1. Vocat Logicam utile organon apparatus ad usum omnium disciplinarum. Ideò huic pedisequæ supplicare omninò necesse habent, qui ad dictas heras affectant viam.

§. 2. In *Theologia* usus ejus est insignis; licet non ratione normæ seu magisterij; tamen ratione organi & ministerij. In resolutione textuum Biblicorum, in consequentijs ex scripturis deducendis, conclusionibus dijudicandis, & methodis formandis. Unde magnus quidam Theologus dixit: velle interpretari Paulum sine dialecticis & aliarum præsidij & adjumentis, est sine stellis monstrantibus in portum navigare velle cœcâ nocte. In discursu mentem dirigit, modum monstrat, quo dicta scripturæ hæreticis opponenda, & argumenta eorum beneficio regularum Syllogisticarum resolvenda sunt & refutanda solidè. Huic licet multum tribuimus; non tamen existimandum est nos statuere illam absolutè & simpliciter necessariam, sed secundum quid: non ad esse, sed ad benè esse Theologiæ. Ingens enim foret crimen, si quis, veritatem dogmatum cœlestium non posse intelligi & defendi sine Logica, statueret. Itaq; Clem. Alex. citante Saurio, comparat illam sepi, quâ licet arbores & fructus non indigeant ut sint; tamen maximè egent, ne à furibus auferantur & à pecoribus lædantur.

§. 3. Hanc artem *libis & Medicis* maximum afferre emolumentum hinc elucet; nam juris prudentia & medicina propriis viribus sine alius adminiculo nunquam tam claros effecisset viros, nisi antea ipsi illam didicissent artem, quæ docet rem universam distribuere in partes, latentem explicare definitione, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremò habere regulam, quâ vera & falsa judicantur, & quæ quibus præposita essent, quæq; non essent consequentia. Jurisprudentia philosophiam præsertim practicam agnoscit fundamentum. Medicus excellens, (de circumforaneis non est sermo) quicquid effecerit, debet physicæ & Medicinæ, quæ absq; cognitione logicæ nec intelligi nec benè explicari possunt. Quæ de re M. Antonius Muretus in orat. de doctoris officio sic loquitur: Quæ sit ratio definiendi, quid intersit inter definitionem & notationem vocabuli, quando liceat argumentari ab enumeratione partium, non dialectici potius, quam juris civilis doctores, docere debent. Et paulò post, taxat illorum confusionem ob neglectum dialecticæ his verbis: At nostri illi cum dialecticæ aut non didicissent, aut ita didicissent, ut non didicisse præstaret: quibus, quæso, modis omnia miscuerunt? qualem nobis præceptorum farragineam reliquerunt? Quæ ille pluribus persequitur, quò cupidum lectorem remitto. Galenum, refert Jacobus Saur: principem medicorum, omne, quicquid unquam laude dignum scripserit & ad posteros propagarit, logicæ se debere, fastum esse.

§. 4. In philosophia ejus negare utilitatem, idem est ac si quis negaret usum elementorum, & quò pauciores de hoc dubitant, eò brevior esse volo. Suis instrumentis notionibus videl. secundis mentem hominis in rerum cognitione inq; veri & falsi discretione dirigit, undè dicitur veritas directiva, quia omnia quæ in logicis proponuntur, ad unicum illum

illum finem scilicet veritatis indagacionem diriguntur, & reſ-  
quis disciplinis philoſophicis omnibus modum veritatem in-  
dagandi præſcribit. De quibus veneranda antiquitas talen-  
tulit ſententiam: Sine logica Theologus eſt Matæologus; Ju-  
riſconſultus in jure ſtultus, Medicus mendicus, Philoſophus  
morofophus.

## METAPHYSICUM.

*Bonitatis formalis ratio eſt convenientia cum volun-  
tate Divina.*

§. 1. Ne ambiguitate vocis decipiamur, varia bonitatis ac-  
ceptio expendenda eſt: alia eſt *Bonitas naturalis* ſeu phyſica,  
quæ dicit convenientiam entis, qua tale eſt, cum natura  
ipſius, & gradum accidentalem ei bonitari, quam ens per eſ-  
ſentiam habet, ſuperaddit; ut ambulare ſine claudicatione.  
Dithm. diſp. Metaph. 12 diſq. 1. *Alia moralis* ſeu Ethica, quæ  
eſt convenientia cum legibus & regula rectæ rationis, &  
hæc quoq; ad bonitatem naturalem gradum addit perfectio-  
nis & eſt accidentalis, ut virtus. B. Thur. Comp. Metaph. c. 5.  
& Dithmar. c. 1. Ad hanc poteſt referri *bonitas ſpiritualis*, quæ  
eſt convenientia entis cum lege divina. Alia eſt *Transcendens*  
*talis*, de qua hic ſermo eſt, quæ duplex: independens & de-  
pendens. Illa eſt convenientia entis ſupremi cum voluntate  
ſua. Hæc eſt convenientia creati, qua ens eſt, cum volun-  
tate divina, à qua producitur. Cœteras diſtinctiones bonita-  
tis, quibus, in veram & apparentem; per ſe vel per accidens;  
naturæ & fortunæ; animi & corporis, dividitur, ſubens omit-  
to, & ad propoſitum de formali bonitatis ratione pergo.

§. 2. De *formali* hoc discrepantes philoſophorum extant  
ſententiæ: Alii Ariſtotelem ſequentes bonum definiunt,  
quod ſit id, quod omnia appetunt. Uade ejus mentem fuiſ-  
ſe colligunt, quod formale bonitatis conſiſtat in *appetibilitate*;  
ſed hanc ſententiam accuratiores philoſophi rejiciunt, quia

est à posteriore; appetitus enim cum bono immediatè quidem cohæret, sed est ejus consequens, sicut intelligibilitas & cognoscibilitas veritatis. B. Thur. Hujus sententiæ patroni se hac ratione arctius claudi videntes, ad distinctionem appetibilis in fundamentale & formale, confugiunt: fundamentale, ajunt, est quod aptum natum est, ut appeti possit; formale verò quod actu appetitur. Putant itaq; fundamentaliter esse formale bonitatis, licet non formaliter. Sed nec hoc effugium ipsis præsidio est; omne enim relatum fundamento suo, cui innititur, est posterius: at bonitas est relatio, ergo aliquod fundamentum dari oportet, in quo ratio & natura boni consistat. Illud autem est convenientia, siquidem nihil in bonitate reperitur prius, quod causa esse possit appetibilitatis, quod hac ratione potest confirmari: per quod bonitas non est id, quod est, in eo forma & essentia bonitatis non consistit; at per appetibilitatem Bonitas non est id, quod est; quia non ideo res dicuntur bonæ, quia appetibiles, sed potius appetibiles, quia bonæ. E. in appetibilitate bonitatis natura non consistit. Alii *qualitatem* esse rationem formalem bonitatis statuunt, quam sententiam B. Thur. c. l. tribuit Timplero: sed fallit & illa, nam hæc non competit omni enti; in Deum enim non cadit qualitas, licet sit bonus, justus, &c. Deindè qualitas est ens reale, atq; sic suam haberet qualitatem, & iterum illa suam, & sic in infinitum, à quo abhorret natura. Alii formale bonitatis in negatione defectus consistere sentiunt. Sed & hi confundunt diversas affectiones, perfectionem & bonitatem; nam perfectio est affectio absoluta, & meram in ente defectus negationem dicit: hæc respectiva est & rationem seu habitudinem ad voluntatem infert, revera enim in re duo sunt, carere defectu & convenire. Nec consistit formale bonitatis in convenientia cum se ipsa; nam sic quoq; malum erit bonum, cum

habeat



habeat proportionatam sibi convenientiam, qua malum est, cit. Author p. 134.

§. 3. Superest igitur ut ostendatur vera sententia, quod formalis ratio bonitatis consistat in convenientia cum voluntate divina, hoc probatur sequenti Syllogismo: Ratio cur aliquid appetitur, est ratio formalis bonitatis; at convenientia cum voluntate divina, est ratio cur aliquid appetitur, E. convenientia cum voluntate divina est formalis ratio bonitatis. Major hisce stabiliri potest, quia appetibilitas est necessarium consequens bonitatis. Item minor, primum in uno quoq; genere est mensura reliquorum, voluntas divina est in hoc genere prima, nam humana voluntas sæpè errat, E. convenientia cum voluntate divina causa erit appetibilitatis & ratio formalis bonitatis.

## PNEUMATICUM.

### *Spiritibus non repugnat esse in ubi.*

Quod locus propriè sic dictus spiritibus ut sic non competat, probatur ex definitione loci à Sperlingio allatâ, quod sit affectio corporis naturalis, qua illud secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem suam occupat spatium: Talis enim affectio convenit corporibus, quæ materiam & formam habent: At spiritus materiæ expertes sunt, E. locus propriè sic dictus illis non convenit. Hoc etiam evincunt affectiones loci, quarum præcipua est æqualitas, locus enim locato æqualis esse debet: ubi autem hæc, ibi etiam quantitas; at spiritus cum sint immateriales, quanti non sunt, nec habent partes extra partes. non habent situm aut ordinem partium, non faciunt distantiam, non implent spatium suâ præsentia; nec ita occupant spatium, ut excludant cujusvis rei quantæ alterius præsentiam: sed spiritus potest esse in eodem ubi cum re quantâ; in ubi v. esse spiritus possunt, quod illorum præsentia ad alia facilè probat

bat, nam quicquid alicui præsens est, est in aliquo ubi; at spiritus sunt præsentés nunc huic nunc alijs, E. Plura de hac re vide sis in Pneum. Dn. M. Jac. Flachf. Ex tribus illis modis, quibus res in ubi esse dicuntur, apparet qua ratione Spiritus sunt in aliquo ubi: vel *circumscriptivè* quid dicitur in ubi esse, ut corpora: vel *definitivè*, ut spiritus creati, prout sibi liberè definiunt ubi, in quo sunt: vel *repletivè* ut spiritus increatus, non per diffusionem aut effusionem per omnia loca, vel inclusionem in omnibus spatijs creatis; sed per simplicem ac spiritualem in omnibus ubi adessentiam absolutè interminabilem.

## PHYSICUM.

*Omne corpus naturale mole est finitum, & in infinitum dividi nequit.*

§. I. Duo distincta membra esse hujus Theorematis quilibet videt: Prius quod concernit, sequentibus rationum momentis illustrari solet. Si respexerimus contactum corporum naturalium, certum est nullum dari corpus, quod non per sua extrema aliud tangit; cœlum enim elementa claudit, & illa corpora mixta circumstant, quod neutiquam fieret, quin contradictionem implicaret, si aliquid daretur infinitum; nam infinitum actu omnem contactum per extrema excludit & destruit. Deinde si unum corpus naturale infinitum, nulla essent præter hoc; quia illud proculdubio, cœteris exclusis, omnem locum sua infinita amplitudine occuparet. Hinc quoq; hoc sequeretur absurdum, nullum dari motum localem, nec illud ageret nec pateretur, & innumera ejusdem generis alia. Deniq; si aliquid ejusmodi in natura esset, vel aquæ supra cœlestes vel extremum cœlum hoc nomine veniret, sed neutrum horum; nam istæ finiuntur à parte inferiore extremo cœlo, & in proprio sibi à summo

Architecto destinato loco sunt: Hoc concavum est, & omnia inferiora continet, proindè infinitum non est.

§. 2. *Divisionem* quod attinet, sciendum duplicem à philosophis statui: alteram *realem* seu physicam, quæ instrumentis corporeis peragitur, sicuti cum truncus vel lapis in minutissimas secatur partes: Alteram *mentalem* seu mathematicam, quæ fit per conceptus & operationem mentis, cui rei divisibilis natura non repugnat, v. g. linea valdè exigua beneficio conceptuum in infinitas dividi partes potest, etiamsi nequeat instrumento aliquo corporeo. Et qualis hic consideratur divisio, talis quoq; quantitas, quæ ratione animoq; cernitur, quamquam in rebus sensibilibus revera inest, tamen mente, absq; materia sensibili, concipitur. De priore nos hic agere non est difficile intellectu. Divisione hac reali sæpius iteratâ, ad partes minimas tandem devenimus, ultra quas progredi non licet. Ratio præcipua, quâ nostra assertio confirmatur, à Sperling. Instit. phys. lib. 1. c. 2. q. 1. producitur, verba ejus hæc sunt: quicquid finitum est in infinitum dividi nequit; quantum finitum est. E. Maj: patet; quia non datur transitus finiti in infinitum. Min. ex superioribus repeti potest.

## MATHEMATICUM.

*Anguli cruribus congrui sunt aequales.*

Fundamentum hujus theorematis ipsa congruentia substernit, quæ est mensura omnium æqualium angulorum, estq; ipsa ferè Geometriæ anima, & principium luculentissimum & summæ utilitatis, summaq; cum artis veritate conjunctum. Hac namq; mediante corpora liquidorum siccorumq; omnium metimur. Congruunt autem crura, quando prima primis, media mediis, extrema extremis, partes partibus exactè respondent. Sic lineæ inter se congruunt, cum puncta punctis totaq; longitudines longitudinibus eun-

dem occupant locum. Et si bis bina congruant crura, non quatuor sed duo crura erunt: neq; tam duo anguli æquales, quàm angulus unus; quia duo Lineata hic unum est ex ipsa congruentia. Observandum & hoc angulos non esse æquales nisi & bases æquantur: nam si basis major, manens eisdem cruribus, major est angulus, tum enim crura secundum longitudinem basis ad ejus extremitates sese extendunt, atq; sic à se invicem magis se junguntur. Si verò basis minor sit, eadem crura magis coarctantur & concurrunt, & ita angulum faciunt minorem. Addendum & hoc: hic agitur de angulis homogeneis rectilineis, in heterogeneis verò non procedit.

## ETHICUM.

*Virtutis genus est habitus electivus.*

§. 1. Inter eruditos acris est disputatio quodnam sit *genus* virtutis legitimum. Omnes quidem, quos singularis commendat eruditio, virtutem ad qualitatis referunt prædicamentum, undè quoq; genus ejus sumendum. Si examinaverimus cunctas species qualitatis, in qua locum habeat, sponte elucebit. Extra dubium est virtutem non posse dici *formam* seu *figuram*, quæ non ab animo, sed corporeæ quantitatis terminatione provenit sensibusq; obijcitur; est itaq; vel *affectus*, vel *potentia*, vel *habitus*. Non esse affectum aut potentiam sequentibus probatur rationibus: Nemo propter affectum vel potentiam dicitur vel est bonus; at propter virtutes & dicimur & sumus boni. E. *Virtus* industria & crebris actionibus comparatur, potentia & affectus naturâ nobis in sunt. In affectibus & potentia non est quies & perfectio, in virtute autem utrumq;. Consequens virtutis est laudari, nemo propter affectus vel potentiam simpliciter laudatur. In affectibus & potentia nullum consilium, nulla cernitur electio, in virtute utrumq;. Ab affectibus movemur & per-

turba-

turbamur, à virtutibus minimè. Objici forsan possit no-  
 stram assertionem insufficienti laborare enumeratione parti-  
 um, cum plura adhuc insint animo, quam tres dictæ qualitat-  
 is species, dispositio s. actio, species rerum intelligibilium  
 seu rerum notitiæ. Resp. Per data exempla plura non con-  
 stitui; nam dispositio, quid nisi rudimentum ipsius habitus,  
 idè re ipsa ab habitu non differt, Majus enim & minus  
 non variant speciem. Et hic non loquimur, de eo quod  
 est in animo *transitivè, inchoativè & minus* firmiter, sed de eo  
 quod *perfectè & plenè* in subjecto est radicum. Actio non  
 est in animo, sed ab animo. Species rerum non sunt in ani-  
 ma appetitiva, sed intellectuali, de ista, non de hac hic ser-  
 mo est. Sunt quoq; qui virtutem moralem esse scientiam  
 affirmare audent; sed illa ad intellectum, virtus autem ad  
 voluntatem refertur, nec non malis & bonis communis, quod  
 de virtute dici nequit, & ad virtutem aut parum aut nihil  
 prodest. Relinquitur ergo quod virtus sit habitus & qui-  
 dem præelectivus, quia acquiritur per actiones præelectivas  
 cum deliberatione institutas.

§. 2. Cum virtus dicitur habitus electivus, non videtur à  
 proposito alienum, subjectum ejus proximum, in quo sedem  
 habet, ostendere; quidam enim appetitum sensitivum, qui-  
 dam voluntatem subjectum hujus habitus esse non ficulneis  
 rationibus defendere conantur; sed cum argumenta, quæ  
 stant à parte voluntatis prævalere videantur, jis assentior. Pri-  
 mò ubi electio & libertas in homine locum habent ibi & vir-  
 tus; at electio & libertas non in sensitivo, sed rationali ap-  
 petitu locum habent. E. Deindè Sicut intellectus per lap-  
 sum obscuratus habitibus, ut quodammodo restituatur indi-  
 get & imbuitur speculativis: ita voluntas, ut servos, rebelles  
 & inordinatos affectus compescat & in pristinam redigat ser-  
 vitutem, virtutibus moralibus imbui necessum habet. conf.

Nob. Bq; Gyllensålper Col. Eth. Disp. 3. Thef. 16. Tertio Quod absq; ullo alio medio interveniente facilitatem ad agendum recipit, & ita ab illa facilitate disponitur, perficitur & ad bene operandum determinatur, ut actiones morales rectè & laudabiliter instituantur, id est omnis virtutis moralis proximum & immediatum subiectum; at voluntas est illud recipiens, & illa rectè dispositâ bene ordinatâ & sufficienter perfecta, omnes actiones fiunt cum laude & honestate. E. Maj. clara est ex definitione virtutis & subiecti proximi, hoc immediatè recipit facilitatem, illa disponit subiectum suum ad bene operandum, & in hunc finem perficit illud, ut non semel, non aliquando, non sæpè, sed semper & ubiq; quotiescunq; rei occasio & necessitas postulaverit bene operetur. Min: sequitur indè, quia voluntas est primum movens & appetitui sensitivo imperans ad id perficiendum quod rectæ rationi sit congruum, justum & honestum. Ut autem voluntas velit & eligat, ut imperet facultatibus alijs & absq; difficili feratur in bonum, & cum delectatione velit, habitu facilitanda & determinanda est.

## POLITICUM.

*Ex senioribus potius quam junioribus consiliarij eligendî.*

§. 1. In omni bene constituta Republ. Magistratum necessario fidelibus, Salutaria sanaq; consilia suggerentibus consiliarijs stipatum esse debere, prolixioribus argumentis probare supervacaneum duco; Ipsa enim res & omnium gentium unanimis consensus approbat, nullum tantâ sapientiâ prudentiave instructum esse, quin aliorum maturis indigeat consilijs; plus enim vident oculi quam oculus, & plures consilio communicato melius cautiusq; judicant. Liebent, Exercit. II. q. 1. Et consult. Kempe, plus consilio geritur quam manibus & telis, & vis consilij expers mole ruit sua. Idem quoq; suo exemplo sapiens Hebræus probat, qui licet fuerit omnium o-

mentium, imò omnium hominum sapientissimus. 1. Reg. 4. v. 30 & seq. tamen consiliarijs uti necesse habuit. Et tamdiu regna & imperia floruisse, quamdiu sapientiorum consilia valuerunt passim testantur historiæ; sed cujus ætatis homines in consilium adhibendi inter se certant eruditi; & licet hic aliquid certi absolutè statuere nolimus: tamen tutius senioribus consilia committi non diffitemur. Deus enim ipse, ut sacer codex non uno in loco indigitat, senes scientiâ & prudentiâ præstantes colligi iussit, ut Deut. 1. Num. 11. &c. Deinde consilia illis concedenda, qui plus autoritatis apud populum habent, suaq; gravitate ordines moderantur, plebem ad fidem, promptitudinem obedientiamq; excitant. Unde proverbium: plus valet umbra senis, quam gladius juvenis. Hi quoq; usu & experienciâ consultandi scientiam acquisiverunt. Constantes, fortes & firmi in negotio sunt, à quolibet enim vento se moveri minimè sinunt. Præterea Status Reipubl. rerum ingeniorumq; gnari sunt. Hos varia fortuna, quâ exerciti erant, benè suadendi artem docuit, undè liberè & sine hæsitatione sensum aperiant. Insuper affectibus imperare didicerunt, ne iræ, odio, invidiæ, festinationi indulgeant; celeritas siquidem maturi consilii non verca, prudentiæ pestis & temeritatis mater est, cui plerumq; vitio juvenes obnoxii sunt. Hinc quoq; nomen senatus apud Romanos coepit, nempe à senio, seniores enim apud illos nec non alias gentes ad hoc munus eligebantur. Ne quis dicat, nos quosvis sine discrimine senes huic officio præficiendos velle, illos, qui bis pueri vel semper servili fuere ingenio, vel qui senectutis morbo præpediti hoc munere fungi nequeunt, excipimus. Quidam certam ætatis metam, annum scil. sexagesimum posuerunt, ultra quam hæc provincia extendi non debet; sed nimis rigidum esse non decet. **Exempla** sat multa possent afferri, quæ multò provectoris ætatis.

ætatis viros cum laude huic muneri præfuisse, indicant.

§. 2. Incommoda, quæ juniores ab hoc officio remove-  
videntur, sunt præter cœtera hæc: juvenes plerumq; molles,  
ætate fluxi, ignari rerum, meticulosi, rimarum pleni, no-  
vitatæ cupidi, dolis haud difficile capiuntur: propter affe-  
ctuum perturbationes auctoritatem sæpius prostituunt: con-  
silia juvenum plures Respub. temerè perdidit, quam con-  
stituerunt. Brevitati studens unum afferam exemplum.  
Filius Salomonis consilia senum spernens, juniorumq; sequens  
maximam regni partem amisit. Nec hic promiscuè omnes  
juvenes excludendi, non pauci reperti, quorum consilia rei-  
pub. valdè profuerunt, nam peregrinationibus, studiis & ex-  
perientiâ scientiam consultandi haud contemnendam sibi  
compararunt.

Clâusulæ loco gratulemur Regi nostro Clementissimo,  
Patriæq; charissimæ, quod consiliariis fide, sapientiâ & pru-  
dentiâ gaudeat instructissimis, qui ex civili scientia sibi re-  
servatum habent, quomodo civitates & imperia fundanda,  
fundata conservanda, conservata augenda & amplificanda  
sunt, quiq; simul cum materno lactè justitiam & sanam im-  
biberunt religionem, quam sanctè colunt, venerantur ac  
promoveant, adversus hostes masculè tutantur, & hæretico-  
rum vaserrima consilia maturè Suffocare unice student.  
Quod ut perpetuò facere possint, supplices Deum Ter Opt.  
Max. rogamus, ut suâ gratiâ ac benedictione adesse & illo-  
rum consilia in sui nominis gloriam, utilitatem patriæ diri-  
gere velit, & ut subditi sub ipsorum justo moderamine  
salvi & incolumes accrescant, vigeant, vivant!

